

A Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPI

SCOPI DE CAIN ET ABEL

LIBER SECVNDVS.

Qua ratione anima nostra partus in clausione superioris libri commemoratos parturire ac parare debeat, & de maturiori & latiori istorum partuum prosecutione, cum pulchra legis superius inducitur declaratione, la tentiumque mysteriorum apertione. Caput. 1.



OS PARTVS ANIMA nostra parturitur, nec solum parturitur, secundum quod legitur, sed etiam pariat, & diebus pariat impletis, ne immaturos partus dies iudicii deprehendat. De his enim partibus dixit dominus Iesus: Vae praegnantibus & nutriendis in illis diebus. Maturus igitur absoluitur hic partus, & co-

Luc. 21.

gitationes nostrae bonorum operum processibus explicentur, ut nihil imperfectum hinc noster inueniat nihil inexplicatum terminus vite nostrae offendat, nihil tantumquam in incube positum vltus nostri operis relinquat. Festina igitur anima formare partus tuos, properantius absolue, celerius quos generis enutrire. Quae tanti forma sit partus, demonstrat Apostolus dicens: Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. In hanc formam tota mentis nostrae coalescant viscera, & in illo genitali aluo animae nostrae Christus resurgat. Partus noster fides sit, nutrimenta nostra praeccepta doctrinae sint. His quaedam cordis nostri imbuetur infantia, instituitur pueritia, iuuenescit adolescentia, senectus canescat: Aetas enim senectutis vita est immaculata. Itaque ea demum bona est animae senectus, quam nulla perdidit inquinamenta maculauerunt. Et ideo partus suos ab hac macula Paulus defendit: Ego vos, inquit, genui in Euangelio. ne cuius aera insulseratio rudis fidei tentaret infantiam. Masculina igitur generabat, qui in virum perfectum populos quos docebat, fidei gestabat vnitatem concurrere, & in agnitione filii dei perfectam plenitudinem Christi tenere mensuram, Hoc enim sacrificium acceptabile deo nouerat, de quo scriptum est: Omne quod aperit vuluam masculinum, domino. Et quia addidit: Omne quod aperit vuluam de armentis & de pecoribus quae sunt tibi, masculinum sanctifica domino: ne quid obscuritatis habeat, consideremus. Dixerat de principalibus generationibus, hoc est plenis capacibusque rationis: addidit & de gregalibus. hoc est reliquis velut plebeiis sensibus, qui irrationabilibus comparantur iumentis. Quae tamen cum a rectore aliquo gubernantur, facile mansuescunt & imperata exequi, & iugum subire, & ad vocem magistris accelerare gradu aut sistere, aut desistere, aut aliqua munia sui operis quae iubetur, humano quodam famulatu obedire cōsuerūt. Tantū valet institutio, ut vincat natura. Itaque illa quae cōsortiū nostrae substantiae nō habet, agnoscat tamē nostrae vocis imperiū: & cū suae naturae nullam rationem habeant, nostrae naturae rationem capessunt, & quodam modo trasfusam acquirunt. Equos videmus popularibus incitari studiis, gaudere plausibus, blanditiis delectari magistris. Toruos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere. Et cū sint ipsi terribiles, diducunt timere. Ceditur canis vt pauca leo: & qui sua iniuria exasperatur, coercetur aliena, alteriusque exsplofrangitur. Quoties parata praeda & cibo obuio famem percepti malunt dum offensam magistris verentur? Quotiens repentino impulsu motu aperta ad morsus ora ius

si resoluunt? Ita dum nostrae voluntati obsequuntur, Deus suae obliuiscuntur. Non ita illa fera vel illa armenta eorum, vel genus omne pecudum quae sine rectore vagantur vltro, & omni domitoris gubernaculo destituta exasperantur. Et ideo apostoli sunt armentarii, opiliores, ceterique pastores, quidam magistri gregum officia sua singulis animantium commissorum sibi cōditione formantes. Videtur ergo & masculina nostrorum quoddam genus aliud domitum & mansuetum, aliud indomitum, quod armentario quodam motu mentis velut deside atque resolutio prouat ad irrationabiles delectationes corporis. Mansuetum autem quod velut duci cuidam moderationi mentis se subiiciat & subdat. Quaeque ergo eius naturae reguntur, ea sunt masculina atque perfecta. Quaecunque autem sine duce vltro plebeia praesumptio ne quadam dominantur, velut ciuitatis alicuius, quae regis optimatumque cōsilio priuata sit, ita corporis sui omnem statum & virilem vigorem muliebri quadam dissolutione effeminaat. Ex his illa lex carnis est, quae legem apostolicam mentis impugnat, captiuam trahit eam quadam lege peccati. Et ideo ut de illo mortis corpore liberaretur, spem suam Paulus omnem non in sua virtute, sed in Christi gratia reponebat. Vnde liquet quod haec commotiones quae secundum legem mentis sunt, diuino fauore praecedunt, alii autem sensus ex voluntate corporea. Illa igitur quae sancta sunt, primitiua sunt nostrorum sensuum. Illa velut de quodam grege sunt, & vtilitate plebeia: quod varie videtur Moyses nominibus significasse diuersis. Hoc enim declarat etiam illa arca legis mystica de qua ait: Initia arcae tuae & lacus tui non nouissima facies. Primitiua filiorum tuorum dabis mihi. Sanctae commotiones sensuum nostrorum, quae secundum virtutes sunt, ipsae sunt primitiuae arcae spiritualis. Propterea etiam rurali arcae cōparantur, in qua ventitantur fumenta. Sicut enim in hac rurali arca excutitur triticum atque hordeū, & dum sepius vētilatur, separatur a paleis, quia paleae ceteraque purgamenta melsis in diuersum leuis aurae spiramine dissipantur, illa vero quae solidiora sunt, in locum eundem excusso puluere relabuntur: ita cogitationum nostrarum fruges quae sunt solidae atque optimae, purae atque syncerae exhibent virtutis alimoniam, sicut scriptum est: Quia nō in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo dei. Quae autē inutiles sunt & vacuae, dissipantur ut fumus ac nebulae: quia sicut fumus oculis, sic iniquitas ventibus eam. Et recte fumo iniquitas comparatur, quae velut quadam seculari caligine aciem mentis obducit. Et ideo dominus dicit: Cum intraueritis in terram in quam induco vos, & cū manducare coeperitis de panibus terrae illius, offeretis oblationem separatam domino, primitias conspersiois vestrae, panem sicut oblationem de arca, & sic auferetis primitias confusioem vestrarum, & dabitis domino. Confusio nos sumus, diuersorum elementorum quadam cōmixtione cōpositi. Siquidem frigidum calido, & humidum siccum miscetur in nobis. Haec cōpersio multas habet carnis illecebras, & plurimas delectationes, sed non sunt hi primitiui huius corporis sensus, quia ex anima & corpore cōstamus & spiritu. Haec est cōpersio principalis, in qua sanctificari nos Apostolus cupit, sicut ait: Ipse autem deus pater sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vestester & anima & corpus sine querela in die dominici nostri Iesu Christi seruetur. Cuius cōpersiois primitiae spirituales sunt, hoc est inuentiones & generationes sensuum qui ex vigore animae procedunt. Sed non omnes primitiui sensus, nisi qui malitiae & improbitatis atque omnis erroris exortes sunt. Sunt etiam necessariae corporis delectationes, vt dormiendi, edendi, bibendi, deambulandi, & ceteri sensus huiusmodi, sed non in his primitiae. Et ideo non in his sed illis dominici sacramentum, ubi castitas, pietas, ubi fides atque deuotio. Cuius rei manifestum & euident exemplum est oblatio patriarchae Isaac, quem sacrificii

1. Thes. 5.